

bis or, & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes adversarii vestri.

QUÆSTIO VIII.

Quare non dicitur quod Iudæi disputantes cum Stephano erant ex Ierusalem, sed ex variis orbis partibus, quæ hic explicantur?

66. Omnes disputantes fuerunt Iudæi.

Omnes isti disputantes cum Stephano erant genere, & religione Iudæi, vel existentes, vel nati in variis orbis partibus, qui ad discendas literas mittebant filios suos in Ierusalem, ut dixi in expositione, &c.

67. D. Chrysofostomus, Beda, Caietan, Philo.

Primo Libertini erant, qui nati sunt ex Iudæis in servitutem per Pompeium, ac alios duces olim abductis Romæ, sed jam libertate donatis, ut inquit D. Chrysofostomus, Beda, Caietan. Hos enim tanquam ex servili genere prognatos, alii ex liberis nati volebant secum eos admittere in synagogis, & cogebant eos foris convenire. Horum Libertinorum Romæ in Transyberina regione degentium meminit Philo in sua legatione ad Caium; dicens: Non passus fuisset Augustus trans Tyberim bonam Urbis partem tenere à Iudæis, quorum plerique erant Libertini, &c.

68. Oecumenius, Liran, Gancius, Ganæus, Glossa.

Alii verò, ut Oecumenius, Hugo, Lyranus, Glossa, Ganæus Libertinos intelligunt oriundos ex Lybia, & dicunt corruptum fuisse vocabulum, ut pro Lybistinarum ponatur Libertinorum; tamen prima expositio verior videtur, & omnia exemplaria, tam Latina, quam Græca, ac Syriaca habent Libertinorum, & pro ea multum facit Philo adductus.

69. D. Chrysofostomus, Oecumenius, Ganæus, A. Lapide.

Cyrenenses, nempe qui suam originem, ac natalia habebant in Syria, quæ triplex est, una in Syria alia in Media, alia in Africa. De tertia hic agitur, ut videtur, quia Cyrenenses junguntur Alexandrinis, qui simul sunt in Africa, & veluti convicini; ita D. Chrysofostomus, Oecumenius, Ganæus, à Lapide.

70. Salmer, Sanchez, Titia.

Alexandrinis, qui orti erant ex Alexandria Metropoli Aegypti, & eorum, qui erant à Cilicia, quæ hodie dicitur à Turcis Caramina, ut videre est apud Ortelium, & Atlas, ex hac Synagoga tenent Salmeron, Sanchez, Tirinus fuisse S. Paulum Tarsensem, & ejus consobrinum Stephanum.

71. D. Stephanus pugnat cum toto Orbe.

Ecce B. Stephanus in sua disputatione pugnabat cum toto Orbe secundum suas tres partes, quæ tunc erant cognitæ, & notæ; pugnabat ex Europa cum Libertinis, Romanis; Ex Asia cum Cilicibus, qui in ea habitant, ex Africa cum Cyrenensibus, & Alexandrinis ibi commorantibus. Ecce totus Orbis tanquam conglomerata manu pugnabat contra Stephanum, qui lorica fidei armatus totum superabat, ita ut non possent resistere sapientiæ, & Spiritui, qui in eo loquebatur.

72. Suspecti de aliqua re laborant ad vindicandum.

Tamen maxime inquirendum, cur Iudæi nati in diversis Orbis partibus, Roma, Cyrenensibus, Alexandria, Cilicia erant in hac disputatione cum Stephano; Iudæi vero nati in Ierusalem, vel Iudæa non sunt inventi in hac controversia, sed solum illi extranei? Hi cum tales essent ex tam remotis partibus contemnebantur ab habitatoribus Ierusalem, tamquam minus docti, ac periti in Scriptura, ac lege, illiusque intelligentia, ac obsecratione; illi ergo ut ab hac opinione se vindicarent, sese ostenderent apprime versatos in Scriptura, ac lege, illiusque acerrimi zelatores, ideo potissime in certamen descendebant altercantes cum Stephano, ut ita haberentur non esse in scientia inferiores aliis.

73. Actor. 9.

Saulus spirans minarum in discipulos, & multa mala fecit omnibus, qui invocabant Sanctum nomen Jesu. Actor. 9. & cum lapidaretur Stephanus

ipse omnium vestimenta custodiebat, Actor. 7. 57. V. Act. 5. est in omnium lapidantium manibus, ait D. August. D. August. & petiit à Principibus Sacerdotum epistolas ad comprehendendum omnes, quos in Christi nomine inveniret; non missus est, sed ipse se obtulit, & postulavit epistolas. D. Hieronymus, in cap. 15. Genes. Saulus san- guinis Martyrum sitiens spirans minarum in discipulos Christi, ut videretur legis zelator postulat epistolas. Paulus in Tarsis, in gentilitate nempe, ut modo supra dixi, inferior aliis in legis zelo haud poterat reputari; ut videretur legis zelator, non inferior, sed aliis major, ideoque postulat Epistolas, ut omnem sinistram opinionem à se propulsaret.

QUÆSTIO IX.

Quare modo post electionem & non antea dicitur D. Stephanus plenus fortitudine?

Incipimus sermonem facere de B. Stephano, in cuius exordio dicam id, quod ait D. August. ser. 3. de Sancto, & de Diversis: Donet mihi Dominus paulo dicere salubriter, qui donavit Stephano tanta dicere fortitudo.

Stephanus dicitur plenus fortitudine, & statim etiã scribitur plenus sapientia, ut habetur statim: Non poterant resistere spiritui, & sapientia; quia fortitudo debet esse cum sapientia, ut non detur acceptio personarum, sapientia cum fortitudine, ut ipsam fortitudinem valeat dirigere, ac gubernare. Ait Iob. 12. n. 12. In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia, apud ipsum est sapientia, & fortitudo. Comparat sapientiam mundialium cum Dei sapientia; in mundialibus, ac senibus antiquis erat tantum sapientia sine fortitudine ad removendum, vel acquirendum id quod ipsa sapientia distabat; at in Deo est sapientia cum fortitudine: Apud ipsum est sapientia, & fortitudo, ut perducatur ad ultimam effectum, quæ bona agnoscit, & penetrat: Rupert, lib. 1. cap. 3. de utraque sapientia agens ait: In hoc differunt, quod in illis tantum est sapientia; apud istum, scilicet Deum, sapientia, simul, & fortitudo est: etiam illi, quod sapiebant ad effectum perducere non poterant. Iste autem sapientiam actus perduxit usque ad victoriam.

Quæstio tamen principaliter inquit; cur D. Stephanus ante electionem dicitur plenus fide, & Spiritu sancto tantum? at post electionem nunc in presenti dicitur plenus Spiritu sancto, ac fortitudine, faciens signa, & prodigia? D. Chrysofostomus, & Oecumenius ait: Qui ante electionem prodigia non faciebat, ut qui nec factis cognitus erat: Vbi per electionem cognitus effectus, tunc etiam donum, quod electionem consecutum erat, demonstrabatur, ut manifestum fiat, quod non sufficit gratia, sed opus est quoque addi electionem. Ecce qui ante electionem etiam plenus fide, & Spiritu S. & verè Sanctus, non tamè habebat fortitudinem ac robur ad pugnandum cum adversariis, ad faciendum prodigia, & miracula; at cum electus, & vocatus fuit à Deo ad Ecclesiastica munera, statim eis datur robur ad pugnandum, atque ad adversarios confundendos, potestaque ad mirabilia operandum.

Proverb. 9. n. 1. dicitur: Sapientia edificavit sibi domum, miscuit vinum, & proposuit mensam suam, misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem, & mercatorem Civitatis. Sapientia æterna Divini Verbi edificavit sibi domum, Ecclesiam nempe suam, munitam septem columnis, quæ sunt septem Spiritus sancti dona, ut interpretatur D. Chrysofostomus, in Imperfecto homil. 50. in Matth. posuit mensam omnium celestium donorum, ac dulcedinum juxta id, quod tradit Herodotus, lib. 3. Misit ancillas suas, nempe Apostolos, ac predicatorum.

Lyranus, Hugo, Jansen.

predicatores, ut explicant Lyranus, Hugo, Iansenius, & dicuntur ancilla: quia in oculis hominum videbantur humiles, & abjecti, ut vocarent ad arcem, & ad mercatorem Civitatis. Majori confidentia videbatur dicendum, ut vocarent ad mensam quam posuit, sed ait: Ut vocarent ad arcem, & mercatorem Civitatis; ex H. bravo legitur: Vocavit ad pinnaculum, vel fastigium Civitatis. Pagninus: Vocavit ad summam excelsum Civitatis, vocat eos Deus ad excelsa munita, ad supremum fastigium dignitatum Ecclesiæ, ibi eos vocat, ibi eos convocat ad suam mansam celestium donorum, quos enim Deus eligit ad officia, & dignitates, eis confert sua dona ad exacte, ac perfecte obeundas functiones suas.

Hebr. Pagninus. Vocatis ad dignitates providet Deus.

78.

Postquam Christus D. in horto ad Patrem cum jam tradendus suis inimicis veniens ad discipulos suos, eos inveniret dormientes dixit illis: Dormite jam, & requiescite; ecce appropinquavit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum; surgite eamus, Matth. 26. n. 45. Contradictio videtur latere in dictis: Dormite, & requiescite, cum his, quæ sequuntur: Surgite eamus: Unum aperte repugnat cum alio dormire, & requiescere cum surgere, & ire; nulla tamen est contradictio, sed omnia tibi optime consonant; nam si à Deo designaris ad certamina; ut certus requiesce, quod ipse tibi dabit adjuvamen ad superandum, ut gloriosus triumphator evadas. D. Laurent. Iustinianus, de triumphali Christi agone, & ait: Facile enim quisque, quod acquisivit; amittit; & non vocatus se inconsulte exponat: Nullus itaque inanis Dominum in passionibus præsumat imitari, nisi impelleme Spiritu, aut vocatus quiescat. Expende ultima verba: Aut vocatus quiescat; si vocatus fueris à Deo quiesce, in promptu tibi erunt omnia.

Matth. 26.

Si Deus te vocat, esto securus.

D. Laur.

QUÆSTIO X.

Quare tanta multitudo diversarum nationum contra unum Stephanum stat?

79.

Valde mirum quod tam ampla, & lata multitudo ex toto fere orbe, ut dixi supra q. 8. n. 71. insurgat disputans cum Stephano, cur non potius cum Apostolis, qui erant Principes, & Primarii in populo Christiano? Stephanus erat agnitus tanquam vir doctissimus discipulus Gamalielis, plenus, ut dicitur in Textu, Spiritu sancto, & sapientia. Apostoli autem reputabantur tanquam homines viles, rudes, ac idiotæ, proindeque tota eorum manus conglomerata insurgat contra doctissimum Stephanum, quia hoc devicto ceteri facile essent superati.

Totus Orbis contra Stephanum sapientissimum.

80. D. Chrysofostomus.

Secundo ad quæstionem responderi D. Chrysofostomus, de S. Stephano tom. 6. ubi sic ait: O quam turbam improbitatis congregavit! O quam invidia multitudinem convocavit! Liberos, Cyrenenses, Alexandrinos, & qui erant à Cilicia, & Asia; in finem iniqui turbæ contra unum. Malitia infinitam ferè iniquorum multitudinem convocat, ut suum defectum justitiam, veritatis, ac rationis hominum multitudinem cooperire, ac recompenare valeat.

Vultus unus, iniqui multi.

81.

Ait Isaias 3. n. 1. Ecce dominator Dominus exercituum auferet à Ierusalem, & Iudæa valium, & fortem, omne robur panis, & omne robur aquæ, fortem, & virum bellatorem: & dabo pueros Principes eorum. Ait auferam fortem, & dabo pueros Principes eorum. Ait multi pueri proponuntur, quando unus solus vir auferitur; pueri intelliguntur non ætate, sed stultitia, & insipientia, ac ignorantia, & semper hi multi, & in magno numero sunt; infinitus penè est numerus stultorum D. Basil. ibi ait: Bona quidem ex-

D. Basil.

pressit singulariter, pueri fortem, validum, bellatorem, &c. malorum autem comminatio excrevit in numerum multitudinem, sic sunt juvenes, Principes, & illi luses dominabuntur vobis. Ubi mali, & iniqui ibi multum excrevit inimicorum, ac iniquorum numerus. Tamen profunde nota, quod quando dicitur unus justus singularis, dicitur fortis, validus ac bellator. Cum omni robore panis, & aquæ; ac iniqui licet multi, sunt tanquam pueri: & ab eis non principes eorum, ut pote invalidi, imbecillesque sine viribus, iudicio, ac ratione, & ideo unus justus, ut Stephanus est fortis Athleta, contra eos generosè stat, ut eos valeat superare, ac devincere.

Scribens Apostolus Paulus ad suum discipulum Timotheum 2. cap. 4. n. 3. ait: Eri enim tempus, cum sanam doctrinam non serebunt, sed ad sua desideria coacerabunt sibi Magistros. Ubi D. Anselm. sic ait: Anselm. Acerbum sibi congregabunt Magistrorum, cum coacerabunt ea; quæ deserviant. Multitudo iniquorum per acervum explicatur ab Apollolo: aliter David loquens de Sanctis ait: Psalm. 16. n. 14. A paucis de terra divide eos. Per paucos justos intelligit communis interpretatio, & ita quædam lectio habet: A mortalibus mundi divide eos. alia ita vero lectio, Ab electis: Multitudo iniquorum declaratur per acervum incompositum, in quo nulla est dispositio, nec ordo, nec ratio: At paucitas justorum per electionem, in qua est altum consilium, & suprema iudicii discretio. In multitudine iniquorum nulla ratio, & dispositio, quæ maxime cernitur in paucitate justorum, cum in eorum electione maxime eluceat altum consilium cum suâ providentia, attentata ratione meritorum uniuscujusque.

QUÆSTIO XI.

Quare tanta sapientum multitudo uni Stephano non poterat resistere?

Ecce omnes sapientes Ierosolymæ congregati contra unum Stephanum non poterant resistere sapientiæ, spiritui, ac fortitudini illius, quæ erat plenus, sed Stephanus eos omnes superabat, & unde ejus sapientia, ac fortitudo tantam vim habebat: quia erat fundata, ac radicata in humilitate, ut notat D. Chrysofostomus, de S. Stephano, tom. 6. Dicitur mensis præfectus est, & prodigio unum efflor reddidit. Non reculavit Stephanus humile mensuram ministerium, indeque ex sua humilitate assequutus est, ut esset prodigiorum operator utque multa ederet mirabilia.

Scribitur catalogus fortissimorum David, & de ipso dicitur: Secens in Cathedra sapientissimus Princeps, inter tres, ipse est quasi tenerissimus ligni vermiculus, qui est in a intersecu impetu uno, 2 Reg. 23. n. 8. Ut sapientissimus in Cathedra ostenditur, & ut fortissimus, qui octoginta uno impetu prostravit, & unde illa tanta sapientia, tantaque fortitudo; quia ita se dejecit, ac reputabat; quasi tenerissimus ligni vermiculus; & inde ex tanta humilitate consequens erat, ut prodiret multa sapientia, ac fortitudo, ut uno impetu prostreretur octoginta, quod eleganter ponderavit D. Leo serm. 7. de Epiphania, ubi sic ait: Tota Christiana sapientia disciplina, non in abundantia verbi, non in astutia disputandi, neque in appetitu laudis, & gloriæ, sed in vera, & voluntaria humilitate consistit, quam D. Iesus ab vero Matris usque ad supplicium Crucis pro omni fortitudine elegit. Expende verba pro omni fortitudine elegit. Ipsa æterna sapientia veniens in mundum ad pugnandum cum Diabolo, humilitatem pro omni fortitudine elegit.

N 3 Secundo:

85. Secundo, Tota Doctorum multitudo non poterat resistere Stephano: Glossa Ordinaria *Pugnabat ipsa sapientia Scripturarum*. Verba sacra Scripturae sunt tela, & sagittae, quae inimicos configunt, percutiunt, ac destruant. Cum meus parens Elisaeus agrotaret, jamque morti proximus, descendit ad eum Joas Rex Israel largiter flens, ad ejus dolorem mitigandam ait ei Elisaeus: *Affer arcum, & sagittas; & dixit Elisaeus: jace sagittam, & jecit; & ait Elisaeus: sagitta salutis Domini, & sagitta salutis contra Syriam, percuteque Syriam*, 4. Reg. cap. 13. a. n. 15. 26. & 17. Quae verba moraliter expendit Glossa Ordinaria, & inquit. *Arvus sacra Scriptura, quae ex utroque testamento, velut ex cornu, & chorda constat: vetus est cornu propter duritiam, novum chorda; & dum chorda trahitur, cornu curvatur; quia cum novum Testamentum discutitur, vetus de rigore suo ad intellectum spiritualem flexitur: sagittae sunt verba, quae Doctores proferunt; nos ergo cum Scriptura dicta pensamus arcum tenemus cum verba doctrina damus sagittas emitimus*. Per allegoriam ad sacram Scripturam voluit Sanctus Propheta Regi Israel denotare victoriam de Syria. Mandat parare arcum, & sagittas, illasque emittere ad percutiendam Syriam. Arcus sacra Scriptura; cornu ex quo componitur vetus testamentum ob sui duritiam denotat, chorda ob sui lenitatem ac teneritudinem, novum dicit; sagittae verba Doctorum, dum ex Scriptura proferunt, ac exeunt, percutiunt, & vulnerant Syriam nempe idololatriam, & infidelitatem cum omnibus suis erroribus.

Verba Scripturae sagittae sunt.

86. Job. 39. Graecus.

Ubi sonat Scripturae vox victoriae certa.

Ephrem.

Ait Job. 39. n. 25. *Ubi audieris buccinam; dixit vobis: ex Graeco legitur signum dante tuba dixit; euge, procul odoratur bellum*. Haec vox euge importat notam exultantis, ac gratulantis; *Euge serve bone*. Et quanam est haec tuba, quae cum illa sonat, statim fit exultatio; ac gratulatio de victoria, ac de bello jam procul abeunte, ac cessante? Haec tuba est sacra Scriptura, cujus vox cum sonat statim certa est victoria bello profligato, & procul abeunte, ac omnino destructo, D. Ephrem serm. de Penitentia sic ait: *Loco tubae divinas Scripturas adhibe, & quemadmodum tuba belli tempore sonans strenuorum militum alacritatem in adversos excitat, ita & divinae Scripturae te promptiorem ad omne opus bonum reddunt, teque adversus improbas passiones, ac vitia magis animant, & corroborant*.

Act. 6. n. 11. *Tu summiserunt viros, qui dicerent se audivisse eum dicentem verba blasphemiae in Moysen, & in Deum.*

Num. 1. 2. *Commo verunt itaque plebem, & Seniores, & Scribas, & concurrentes rapuerunt eum, & adduxerunt in Conciliu.*

Nam. 1. 3. *Et statuerunt falsos testes, qui dicerent: Homo iste non cessat loqui verba adversus locum sanctum & legem.*

Num. 1. 4. *Audivimus eum dicentem: quoniam Iesus Nazarenus hic destruet locum istum, & mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyses.*

Versiones

CUM EXPOSITIONE V.

87. Tigurina. Pagnin. Graecus. Arabic.

Verf. 11. *Tunc summiserunt viros. Tigurina, Subornaverunt. Pagnin. Clam acciperunt viros. Arabicus. Tunc expelierunt homines Graecus subjecerunt. Quae omnia verba denotant quandam occultam subornationem, ac confictam*

compositionem, quam fabricarunt Libertini, Alexandrini devicti, ac superati ab Stephano in disputatione, tunc falsos testes miserunt, qui dicerent, ut fecit Jezabel contra pium Naboth. 3. Reg. 21. n. 9. 10. & pro hoc facit lectio Syriaca, quae sic habet: *Tunc miserunt quosdam, & docuerunt eos, ut dicerent, Nos audivimus. Et in hoc D. Augusti. serm. 93. de Sanctis, agnoscit magnam similitudinem in B. Stephano cum Christo D.*

D. Augusti.

Verba blasphemiae. Arabicus: *Audivimus sermones commentitios*. Vatablus: *Verba impia, contumeliosa*. Blasphemia ex radice Graeca, idem est ac mala fama ab aliquo evulgata, ac proinde idem valet, ac maledicentia, vituperium, ac calumnia; & quamvis varie possit accipi, tamen ex usu Ecclesiae communiter accipitur pro contumelia, & opprobrium jactum in Deum, suosque Sanctos.

88. Arabic. Varabl.

Blasphemia quid sit.

Et in Moysen. Per Moysen vel intelligitur ejus persona, quae in magna autoritate erat apud Judaeos, vel lex ab ipso promulgata, quam D. Stephanus docebat esse jam abolitam, & extinctam per Christum, qui erat filius Dei, & major Moysen, Et in Deum. Injuriosum illis videbatur affirmare Iesum esse Filium Dei naturalem, ac verum Deum quem ipsi falsissime putum hominem reputabant.

89.

Verf. 12. *Commo verunt itaque plebem*. Syriacus: *Conciaveruntque*. Aethiopicus: *Et exorti sunt, & consociaverunt contra eum*. Arabicus: *Et abriperunt secum populum, nempe Communem plebem. Et seniores, graviores, qui erant in populo, & qui eorum partialitate, ac factione erant. Et scribas, legis Doctores. De Sacerdotibus nulla fit mentio; quia cum ipsi essent praecipui in Concilio, maxime cum de re Religionis agebatur, dolose, & abscondite commovebant populum, ac alios, ut sic apparenter tamquam iudices integerrimi viderentur, & fortius agerent contra Stephanum, & quia, ut notat Cajetanus, haec non sunt facta unico tempore.*

90. Syriac. Aethiop. Arabic.

Cajet.

Rapuerunt eum, & adduxerunt in Conciliu. Syriacus: *Adduxerunt in medium Synagoga*. D. Chrysofost. *Invadentes corripuerunt eum*. Aethiopic. *Traxerunt ad Conciliu*. Quae omnia verba indicant, ut notat Lyranus, quod eum rapuerunt, ac traxerunt vi, & furore, non vero ratione.

91. Syriac. D. Chryf. Aethiop. Liran.

Verf. 13. *Statuerunt falsos testes, qui dicerent homo iste. Ex odio, ac contemptu eum proprio nomine non dicunt. Non cessat loqui*. Liran. *Non solum ut blasphemus, sed etiam ut blasphemus assuetus*. Textus: *Verba*. Arabicus: *Sermones commentitios*. S. Gregor. Nyssenus: *Verba contumeliosa*. Textus: *Adversus locum Sanctum, & legem*. Syriacus: *Contra hunc locum sacrosanctum, Templum intelligunt, & legem: & in hoc falso dixerunt quia Matth. 5. num. 17. ut ait Christus: Non veni solvere legem, sed implere, eamque perficere.*

92. Liran. D. Greg. Nyssen. Arabic. Syriac. Matth. 5.

Verf. 14. *Audivimus eum, &c. Quoniam Iesus Nazarenus destruet locum istum, & mutabit traditiones*. Syriacus: *Mutaturum ritus*. Arabicus: *Demonstratur locum istum, & mutabit instituta*. Aethiopic. *Solvat legem nostram*. Pagnin. *Mutabit consuetudines*; & in hoc falsum dixerunt; nam D. Stephanus semper locutus est sermone coherente ad Christi verba; Christus autem non dixit, quod ipse destrueret civitatem, sed quod illud erat faciendum a suis inimicis, nempe Romanis: *Inimici tui circumdabunt te, & prosternent te*. Luc. 19. n. 44. de quo questio Luc. 19. n. 13.

93. Syriac. Arabic. Aethiop. Pagnin.

QUESTIO

QUESTIO XII.

Quare numerus testium, qui surrexerunt contra D. Stephanum non exprimitur, nec declaratur?

94.

Malum Concilium malis repletur ministeris.

Occum.

95.

Marc. 14.

Victor.

Antioch. Judices iniqui qui falsos ac iniquos se cum habent.

96.

Abulens.

3. Reg. 21.

Cum iniquis iniquorum Concilium.

97.

D. Chryf. Stephanus illa superior contra unum omnes.

98.

INSurrexerunt contra D. Stephanum in disputatione ex toto fere orbe, ut jam dixi, Libertini, Cyrenenses, Alexandrini, & illi qui erant a Cilicia, Asia, ita in magno numero, ut non valerent numerari praecorum magna multitudine quot; & quanti erant ex qualitate nationum, ita tot, tantique fuerunt contra Stephanum falsi testes, ut omnem excederent numerum; nam cum illi essent devicti in disputatione, non possentque ejus sapientiae resistere, tamquam ad arma confugientes manus iniecerunt in Stephanum magna cum multitudine testificantium Stephanum blasphemum contra legem, ac locum sanctum, & sic multitudinem testium cum multitudine disputantium componit Occumenius, & sic ait: *Quemadmodum per unos est disputatio, ita & per alios est accusatio, & forma dolos tententium, & deploratorum, & quando in iniquorum Concilio multa depravatorum turba aderat, consequens erat, ut multi falsi testes in unum confluerent.*

Cum Judaeorum Principes, & Seniores convenissent, ut Iesum morti traderent: *Mulsi falsum testimonium dicebant adversus eum, & convenientia testimonium non erant*. Marc. 14. num 56. Et quomodo ad magnorum virorum Concilium, qui maxime de Religione tractabant, audent falsi testes accedere rigidam legis poenam non metuentes? Iudices illi in Concilio erant pessimi ac sceleratissimi, inde sequebatur, quod eorum tribunal esset plenum falsis testibus, ac omni iniquitate; majorum enim pervertitas omnes sceleratos ad se convocat. Victor. Antioch. ibi sic ait: *Illorum confessus nihil erat aliud profusum, quam pestilentium hominum coetus; nec enim testimonia, quae a submissis testibus adversus Iesum afferebantur; convenientia, hoc est veritati consona non erant; nam ut illorum Concilium erat profanum, ut pote ex profanis, & sceleratis impostoribus conflatum: ita nihil non est hic profanis turbis, & tumultibus erat plenum. Expende Concilium ex profanis, quod inde ex profanis turbis, & temulentis erat plenum.*

Ad auferendam, & surripendam vineam Naboth scriptis Jesabel epistolam ad majores natus, & optimates, qui erant in civitate, hoc ait Abulens. ibi quae 4. ad eos: *qui tenebant regimen civitatis, qui faciebant ejus Concilium, & civitatem, gubernabant: Summa autem epistolarum erat: Submitte duos filios Belial contra eum scilicet Naboth, & falsum testimonium dicant*. 3. Reg. 21. n. 10. quod exacte, fecerunt cives ejus, majores natus, & optimates, ad perquirendos testes falsos, nulli alteri Jesabel negotium committit, nisi ad seniores, ac optimates, qui erant de regimine, & Concilio magno civitatis. Hi cum essent pessimi, perverti, ac maligni sine dubio similes ministros habuerunt plenos omni malitia nequitia, ac falsitate.

Secundo D. Chrysofost. eleganter ait: *Quoniam & legis cognitione superior erat Stephanus, illique intolerabilis, falsosque testes constituunt. Torus orbis cum falsis testibus conglomeratus irruit contra unum Stephanum; & inde adversus eum tanta exorta est tempestas: Quoniam legis cognitione superior erat. Unde Spiritu seductionis, ac deceptionis falsos requirunt testes, atque contra eum opponunt.* De Christo Domino ait David Psalm. 68. num. 3.

Tempestas demersit me quisnam exiit ventus, qui tam rigidam excitavit adversus meum Iesum tempestatem? Proculdubio fuit ille ventus, Spiritus mendacis, & seductionis, quo fuerunt commoti Judaeorum Principes, & videntes Christi mirabilia, cum non haberent, quod contra eum opponerent, in iratum aestus caeperunt inservire. Rupertus lib. 1. in Ionam ait: *Quis ille ventus fuit, qui turbas Judaeorum, quasi mare turbavit, nisi Spiritus seductionis, qui illos in odium Domini nostri concitavit; ille intus eos persolvit, ut adversus eum fremerent.*

QUESTIO XIII.

Quare isti dicuntur falsi testes, cum multa verba dixissent?

ADucti falsi testes clamant, & dicunt: *Homo iste non cessat loqui verba adversus locum sanctum, & legem, audivimus eum dicentem: Quoniam Iesus Nazarenus hic destruet locum istum, & mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyses*. Ecce Textus, de cujus literalis sensu jam egi in expositione. Nunc vero summa testimonii haec est; Stephanus dixit quod lex Mosaica suis cum traditionibus in Evangelium sit transitura, Judaismus in Christianismum, Moyses in Christum verum Messiam, verumque Dei Filium naturalem, haec sane vera sunt, & ut eruditus saepe ab Stephano Christum praedicante inculcata sunt. Quomodo ergo, ait Occumenius in praesenti, *hi supposititii, falsique testes?*

Recte respondet ipse Occumenius: *Quia non ut audierant ita narrabant, sed alio quidem modo audierant; nunc vero ipsi alio modo proferebant, merito itaque falsi testes proferebantur*. Tam pura, sincera, ac simplex est veritas, quod minima discrepantia jam veritas non est, sed in falsitatem pertransit, testes substantiam rei integram, involatamque servantes, rei modum adulterant, inde a veritate decidunt, & falsi testes dicuntur; sic prosequitur citatus Occumenius: *dicens: Quemadmodum enim de Christo, quod posset Templum dissolvere, falsum fuit testimonium (neque enim Christus dixerat, solvam, sed solvite, ad illos, non ad se referens solutionem) ita, & nunc mendaces sunt, qui Stephanum aium legis, ac loci demolitionem Nazareno tribuere: quodque vir Nazarenus suis videlicet manibus faceret, & non Deus per Romanos exercitus: Moysi vero in statuam manifeste Deus per discipulos suos, & Apostolos commutavit. Ierosolymitanum excidium Deus Joas fecit per Romanos; & Mosaicae legis commutationem per suos Apostolos exequi fecit, ut umbra in solidam veritatem transiret: hi autem testes, ut ansam accusationis haberent aequivocis verbis malitiose usi sunt, magisque innuunt, quod Christus suis manibus, & suis verbis, urbem, atque legem dissipabit, unde veritatem sic adulterantes testes falsi effecti sunt.*

Ait Sapiens Proverb. 12. num 19. *Labium veritatis firmum erit, qui autem testis est repentinus concinnat linguam mendacij. Tigurina verax labium firmum est semper; mendax vero lingua in momento variat*. Magnum est discrimen inter veritatem, & mendacium; veritas enim semper, ac constans persistit in adequatione, ac conformitate cum ipsa re. Lyranus ait: *Labium veritatis non variatur de uno in aliud; at mendax in momento variat addendo, vel subtrahendo, in nulloque certo, ac determinato puncto persistit; cujus rei optimam assignat rationem Rabbi Salomon, & ait: Labium verax solida basi nititur, atque ad aeternitatem durabit, testis fallax*